



INDEX AVCTORVM

1. Astrucii Sylloge vocum e Philis: prima de pers. X^{to}, et sacra.
2. Beccolii de contrarietate Philis: cum Theol.
3. Fili de in bono bonis motibus sp. s.
4. Dany de opaco Oia Filii cum Patre.
5. Schubert de operationibus gratiae.
6. And: de sp. de primo principio Theol. Socinianae.
7. Schwartz de s. Loena altero sp. s. sacramento.
8. Huth Socinianumque evoluti. uicium elicit male interpretari.
9. Thom de miraculis terra multo tempore passioni X^{to}.
10. Leuf de diuina uocabulo nominum.
11. Leuf de sp. de gratia sp. s. applicatiue.
12. Leuf de sp. de illuminatione.
13. Leuf de sp. de reuol. l. C. maiestate contra Damianum.
14. Leuf de ecclesia Ruthenica de sp.
15. Walch de uarietate Christi prophecia.
16. Walch lo. in: de antiquorum doctorum sententiis de uere uerando tantum.
17. Walch lo. Geom. Christi per ipsa Socinianorum placita Deo.
18. Kocher uisus post finem: uisum praeteritum exstructum.
19. Walch lo. Geom. de perit. X^{to} infernalium.
20. Leuf de gradibus fidei de sp.
21. Walch lo. Christi. Quil. Thomae de resurrectione carnis.
22. Michaelis Christi. Benedi: de delectabile apostolorum lesu pel. Christi fide de in. Thomae.
23. Weidman de diuina uisitatione s. Baptismi & u. coenae.
24. Christoph de fide uisitatione fonte (neg) uisio.
25. Noel de fide uisitatione uisitatione uisitatione. Op. uisio fonte (contra prius).
26. Miller de Orthodoxia cum dogmatibus et Ethica reuincenda.
27. Noel pro. de Paulino Theol. de uisitatione et uisitatione. ad Eph. III. 6.

SYLLOGE LOCORVM
E
PHILOSOPHIA PRIMA
PERSONAM CHRISTI
ET INCARNATIONEM
MAXIME ILLUSTRANTIVM

QVOS
E PRÆLECTIONIBVS PVBLICIS
REPETITOS
D. O. M. A.
PRÆSIDE

JON. CONR. SCHRAMMIO

S. S. TH. D. ET PROF. PHIL. PUBL.
EXTRAORDIN.

D. XXIV. DECEMBR. MDCCIX.
PVBLICE DEFENDET
A. ET RESP.

FRANCISC. CONR. STEINBERG
EINBECA-HANNOVERANVS.



HELMSTADII,

TYPIS GEORG. - WOLFGANGI HAMMI, ACAD. TYPOGR.





§. I. **V**eritas quidem una semper est ac simplex, sed infinita sunt, quæ huic subjiuntur. Ne ergo in hac tam immensâ rerum varietate quicquam contra veritatem statuatur, sapientis est, vel ut alias audit, Philosophi, inter alia curare. Hinc etiam non solum quæ infra se sunt, aut quæ dijudicare potest ratione, sed & quæ rationem transcendunt, ad se spectare putat; idque jure, saltem ne utroque modo aliquid veritati decedat. At verò propterea non statuit, quæ nescit, aut quorum haud satis certus est, pro indubitatis habet. Abstinet potius, & haud cognita ab apertis, & aperta iterum a probabilibus discernit, ut cuique pretium suum ac modus sciendi constet, nec vanis speculationibus detrahatur.

§. II. Ex quo patet, quid Philosophiæ circa Mysterium de Incarnatione sanctissimi Servatoris judicandum incumbat. Superstitionem nimirum præfert, illam hinc plane abigere, & multa hinc falsa, aut dubia minimum enascerentur. Sed & temeritatis est, universum hoc Mysterium ratione describere. Nec est quod infet Liberius de S. Amore Epp. Theol. p. 10. *Forstian aliquis non malo impulsus Zelo nos temeritatis arguet, quod mysterium hætenus ab omnibus ἀναλαληπῶν judicatum, tam facile expli-*

explicare speraverimus. Verum cuicumque ea mens erit, is cogitet, nullibi in Scripturâ unionem Filii Dei cum Christo homine ἀκατάληπτον dici, sed id scholasticorum commentum esse, qui quicquid non capiebant, ut vel ex eorum Physica videre est, capi posse negabant. Ajunt sepe innumerorum naturæ effectuum causas esse occultas & supra ingenii humani acumen positas, quæ tamen facile nunc indicantur. Itaque hoc eorum iudicium assis fieri non debet. Paulus quidem I. Tim. II, 16. ait, μέγα ἔστιν τὸ ἴδιον εὐσεβείας μυστήριον, ἢ τὸ θεὸς ἐφανερώθη ἐν σαρκί. Nimirum id nulla mens assequi potuisset, si revelatum non fuisset. *Mysterium magnum est, non quod in se sit ἀκατάληπτον, sed quia de eo sine revelatione N. Testamenti nunquam homines cogitassent.* Explicet prius per Philosophiam suam, quomodo plenitudo divinitatis in Christo habitat *σωματικῶς*, juxta Coloss. II, 9. & concedemus unâ personalem unionem definitione exhaustisse.

§. III. *Theologie* ergo de Christo si è Philosophia initium facimus, æterna ipsius a Patre generatio occurrit, unde Pater est ac dicitur *Principium* Filii. Principium enim ante se nihil prius agnoscit in eodem genere. Ita nec Pater in divinitate. Prior verò est Filio non tempore, quia ab æterno generavit, & Filius ab initio apud Deum fuit; nec dignitate aut naturâ, quia Christus & Pater unum quid sunt essentiâ, ergò & naturâ: nec motu vel actione, quæ in Deum non cadunt. *Sed origine, & quæ in hac fundatur, naturali enumeratione.* Hæc distinctionem potius quàm inæqualitatem indicant. Connexionem autem, quæ erat ad Principium rei necessaria, continent inter generantem & generatum. Et cum principium etiam sit, *Dei*, unde aliquid cognoscitur, Pater verò per Filium potius in carne manifestatum cognoscatur, quam Filius per Patrem, utut sint corre-

correlata, Pater non erit principium cognoscendi. Item, unde aliquid fit ut sit, Filius vero factus non sit, juxta Symbolum Athanasianum, neque hoc pacto Pater principium erit. Restat ergo ut sit principium, quod vulgo vocamus *essendi*. Fuit enim Filius ab æterno, præterquam quod fieret. Principium hoc *Quod* generavit, Pater est, *Quo* generavit, sive *per Quod*, Intellectus, juxta alios *Essentia*. I. E. Gerh. Disp. de A&D. Div. §. XV. Quanquam verò principium & causa apud Græcos eodem nomine *αἴτιον* veniant & eodem sensu sæpe accipiantur, juxta *V. Met.* Aristotelis *Lib. I.* variant tamen interdum. Hinc principium Pater est, causa non est; namque neque efficiens est, cum non fecerit, neque materialis aut formalis, siquidem Deus utriusque & materiæ & formæ *expers*, neque finalis, cum Filius Dei sit propter se ipsum.

§. IV. Hinc patet, cur Damascenus Patrem Filii principium quidem, sed priorem tamen dicere noluerit, de *Orthod. Fid. c. 9.* Nempe tempus respiciebat; quem secuti sunt alii, juxta *Symb. Athan.* quo *ἐν τριτάτῳ ἔδδεν πρόσθεν ἔδδεν ὑστερον*. Idemque metuunt, qui Filium Principiatum vel a principio ortum dicere refugiant. Qui tamen omnes hoc metu per idem argumentum liberari possunt. Liberat quoque hos Scriptura S. cum vocat τὸ Ἄ καὶ τὸ Ω, ἀρχὴν καὶ τὸ τέλος. Apoc. I, 8. XXI, 8. ubi τὸ τέλος si non erit principium, erit necessario principiatum; quanquam non negemus, quod in alio genere h. l. principium sit Filius, nempe ut essentiam habet divinam, & sic a se ipso est & omnium autor. Principium tamen sine temporis initio etiam habere, bene exprimit Clemens Alexandrinus *Theol. Lib. 9. p. 67.* cum *σύνδεσμον ἢ ἀρχὴν τὸ εἶναι, concurrentem cum principio* (scilicet paterno) *existentiam* habere affirmat, & simul æternitatem indicat. Id quod Johannes sic effert, quod fuerit

ἐν ἀρχῇ πρὸς τὸν Θεόν, in principio apud Deum, itemque quod fuerit ἐν ἀρχῇ i. e. a principio vel in principio a se distincto, vid. Chrysoft. Hom. IV. in Joh. p. 33. Huc verò patres tendunt, quando a se ipso non habere, sed a Patre accepisse divinitatem suam Filium Dei, inquit, Patrem vero ita non accepisse, nec propterea productum volunt cum Arrianis; quâ de re vid. Cavium contra Clericum in Append. ad Hist. Lit. Differt. III. Thef. 2. Quo vergit quando αἰνον vocant Patrem pro more Græcorum, etiam Gentilium, principium sic appellantium. Ut enim Deus est, aut essentiae divinæ particeps, a se ipso, sed ut Filius Dei, a Patre est, neque hoc præjudicat divinitati. Hoc ita efferre Habessinios, quod ex tribus personis nulla prima sit & ultima, item quod *primanativitas* Christi ex Patre sit *sine tempore*, & *altera* ex Virgine *in tempore*, testis est Ludolfus Hist. Æthiop Lib. III. c. 5. Gentiles vero, utut Plato jubeat, τὸν τῶν πάντων θεὸν ἡγεμόνα τῶν ἐόντων καὶ τῶν μελλόντων, τῆτε ἡγεμόνῳ καὶ αἰτίῳ πατέρα κύριον obtestari, Epist. VI. & alii quoque duo principia coæterna agnoscant, principii tamen in divinis rationem ignorant. Nam αἰνον Platoni & δίκαιον idem sunt in Cratylo p. 413.

§. V. Uti vero principium Filii est Pater, sic Filio essentiam suam ab æterno communicavit, ac proinde cum Filio est ἰσοουσίος, ejusdem essentiae. Quod ut rectius intelligatur, dicendum *de Identitate & Essentiâ*. Idem nempe, Simile, & Æquale recipiuntur cum Uno, atque ut talia sunt, ita negationem divisionis aut diversitatis involvunt. Refertur autem Identitas ad substantias, imprimis ad substantias primas, ὡν ὁ λόγος ὅτις πρώτης ἐστὶς ἢ, similitudo ad qualitatem, nempe quæ per differentiam essentialem est determinata; æqualitas ad quantitatem determinatam. Ex quo facile
con-

constat, quod Identitas maxime locum habeat in substantiis, imprimis si per se talis est: qua ratione etiam unum per se dicitur. Estque vel genere vel specie vel numero talis. Et quidem quæ numero talis est, dicitur etiam unum quid numero, & reliqua omnia superat. Essentia Græce variis modis dicitur. Nempe *ἔσια*, *φύσις*, *ὑπαρξίς*, *ὑπόστασις*, de quibus Petr. Musæus in Pædia de Person. Christ. pluribus. Apud Platonem & Aristotelem quoque essentiam denotat *λόγος*, *λόγος τῆς ἔσιας*, *λόγος τῆ πᾶν εἶναι*, item *τὸ πᾶν εἶναι*. Quæ omnia indicant quod res esse debebat, & ad formalem causam reducuntur, utut deinceps iterum differant diverso conceptu. Hinc & Latini ut diversos hos conceptus indicarent, nunc quidditatem, nunc formam substantialem, nunc formam totius, nunc item substantiam vel essentiam vocarunt. Verbo nos monemus, omnes has voces locum reperire in quibusvis accidentibus, etiam minimis & momentaneis, magis in substantiis, utpote quarum major est existendi necessitas, maxime verò in substantia prima & independente, quippe quæ nunquam non potest esse atque subsistere per illud, quod est. Ideoque in Deum, quo est simplicior, eo magis quadrant, nec improprie, quæ est quorundam opinio, dicuntur. Denotant autem, quicquid ad perfectionem ejus facere unquam concipimus.

§. VI. Cum ergo Servator verus Deus sit, maxime quæ de *Essentiâ* dicta sunt, eidem convenient. Nec enim dum verbum vocatur, accidens est Patris, quod in Deum ne quidem cadit, utpote mutabile, multo minus Deus esse dicitur. Habet præterea proprium *subsistendi* modum, quem, dum generatus est a Patre, ab æterno per communicationem essentiæ accepit. Nam generari etiam in naturalibus rebus est substantiarum; ipsa vero generatio accidens est, quod in Deo quidem tale non est, Patrem tamen à Filio distinguit, & in

utro-

utroque involvit substantiam. Ne vero putemus substantias has duas esse aut distingui numero, recurrendum est ad *Identitatem*. Æqualitas quidem in Deo non obtinet, quantitatem enim, quæ in Deo non est, determinatam respicit. Similitudinem forte quis concederet, si imaginem essentiæ divinæ in sacris literis Hebr. I. 3. vocari audiret, & sic essentiæ Patris, juxta quam Filium generavit, exemplar exactissimum haud immeritò diceret. At si consideramus, quam difficile sit Deum sub aliquam formam redigere aut qualitatem determinatam, ipsam potius essentiæ Filii ejus imaginem dicemus, nec formam ab eo distinctam. Erit ergo *Identitas* inter Patrem & Filium *quoad essentiæ*, utpote quæ in substantiis locum habet. Identitas vero non speciei erit, aliàs plura sub se contineret numero inferiora, & quoad essentiæ distincta; quo pacto hæc divideretur, & plures nos agnosceremus Deos. Multo minus generis, cum ne quidem unam speciem, nedum plures sub divinâ essentiâ reperire liceat. Erit ergo *Identitas numeri*, quæ maxime talis est, & simplicitati divinæ convenit. Neque obstat, quod Pater & Filius duo sint per generationem distincti, siquidem hoc in Deo non dividit essentiæ, nisi compositionem admittere, & contrà simplicitatem tollere velimus.

§. VII. Fraudem ergo subolet in Arianis, quod vocem *ἁμοβοσίας* admittere nollent. Quod si vero eandem numero essentiæ inter Patrem & Filium admisissent, necessario etiã simplicem *ἁμοβοσίας* statuissent. Alii bono animo *ἁμοβοσίας* à Deo removebant, ne eundem speciei aut accidentibus subicerent, quod fortè è Philosophia Græcorum, qui ultra naturæ exempla haud pervenerant, videntur percepisse. Nam in hac simile exemplum non exstabat, ubi Pater & Filius ean-

eandem numero gererent essentiam. Interim de Deo vocem Essentiæ sine metu adhibemus, siquidem non modo id Scripturâ præeunte Exod. III, 14. facimus, sed & totam hoc modo perfectionem Dei, in quantum illam animo attingere licet, exprimere tentamus, quicquid de eo fiat, quod in Deo supra conceptum humanum est. Simul vero damnamus sectam *Ανομοίαν*, qui identitatem inter Patrem & Filium unâ cum similitudine tollebant, & Arianis apertè accedebant. Tum & *ὁμοιοσύων* qui Semi-Ariani vulgo audiunt, identitatem quidem in essentia collocantium, sed specie magis ac genere quàm numero Filium cum Patre eundem dicentium. Porro etiam *τῶν ὁμοίων*, qui identitatem negaturi, similitudinem tantum concedebant. Sed cum similitudo Qualitatem magis quàm Essentiam ipsam respiciat, & in alia parte inæqualitatem vel diversitatem adhuc maximam admittat, à veritate æquè aberrarunt. Hinc etiam, sive *κατὰ πάντα ὅμοιος* dixerint, sive *ὅμοιον* tantum, eandem *ἕσιν*, sustulisse videntur, cum vocem hanc *ἕσιν*, usurpare timuerunt. Denique & illos rejicimus, qui Arianos quidem oppugnabant, vocem verò *ὁμοούσιος* idèd expungendam è confessione Nicænâ voluerunt, quod nec in Scripturis nec alibi locorum reperirent. Nam fingi hanc vocem jubet ipsa essentiæ divinæ Unitas ac Simplicitas. Discrimen hoc veterum Arianorum vid. apud Spanh. Comp. Introd. in Hist. Eccl. N. T. Sec. IV. Nr. VII. 8. Sed & *αὐτὸν ἕδον* dici ab Eusebio, contrâ Clericum demonstrat Cav. l. c. Thes. IV. qui conferatur ibidem pluribus.

§. IIX. A Theologia sive Divinitate Christi deveniendum est ad ejusdem Oeconomiam seu Incarnationem, & quæ hanc

B

sequun-

sequuntur. Fuisse autem necessariam, è doctrina de Necessitate considerandum est. Hæc in Deo habet originem. Et si Deus non esset, nulla nec in accidentibus entium esset necessitas. Deus ergo est Ens maxime & absolute necessarium, quod ideo ἀπλῶς vocat Aristoteles, atque notat *V. Metaph. V.* ubi agit ex professo de Necessitate & Contingentia. Reliqua secundum quid. Nempe secundum naturæ a Deo constitutæ ordinem. Sed & quæ supra naturam a Deo constituta, ad hoc genus necessitatis referuntur, saltem propter hanc constitutionem, ex quâ fluit necessitas. Conf. Arist. Rhet. ad Alex. cap. 2. Nec tamen idè libertas in Deo negatur, etiamsi ab æterno constituat. Constituit enim quæ vult, & certis de causis, certisque sub conditionibus. Unde est ex hypothesi. Quam quidem hypothesin ex eventu nos iudicamus, nunc finem esse experientes, propter quem aliquid hoc vel illo modo fit, nunc causas alias, quales sunt efficiens, materiaque ac forma, quibus positis, aliquid necessario consequitur; nunc verò ipsam rei existentiam, unde illa regula: Quodlibet quando est, necesse est, esse. Sunt etiam alia quædam adjuncta, quæ necessitatem quidem rebus haud inferunt, eandem tamen determinant, ut sunt v. g. sensus nostri scientia, & quæ in Deo est, futurorum præscientia. Atque hæc ad quævis contingentia etiam referuntur.

§. IX. Hinc ergo concludimus, Incarnationem Filii Dei ejusque consequentia non fuisse absolutæ necessitatis. Contigit enim in tempore. Nec obstat quod ab æterno constituta, siquidem à Deo qui libere agit, principium tenet, & quidem certâ additâ determinatione. Hinc fluit hypothesis,
quam

quam primò eventus docuit desumere à fine. Hic est redimere genus humanum I. Tim. I, 15. Gal. IV, 4. 5. Deinde eti-
 am à causâ efficiente, voluntate nempe divinâ, quam sequi-
 tur modus aut causa formalis hujus mysterii. Denique vero
 ab ipsâ existentia necessitatem hypotheticam colligimus, uti
 & a revelatione, Johan. I. 14. & præscientiâ divinâ. Sed verò hæc
 hypothesison excludit alios modos, quibus negotium fieri
 poterat, aut non fieri; ne dicamus, quod e Scholasticis qui-
 dam, qui ad redemptionem necessariam incarnationem ju-
 dicant, sed non ad liberationem. Gregorius in Moralib. *Qui
 nos fecit existere ex nihilo, inquit, etiam nos renovare sine sua
 morte potuit.* Quicquid fiat, poterat Deus plane deserere ge-
 nus humanum. Ita cessante fine non opus fuisset mediis.
 Neque enim assentimur hoc sensu Bernharδο in Jon. III. quod
 viderit Diabolus naturam humanam debere assumi à Deo, &
 ideò ex invidia incitaverit hominem ad peccandum, ut Deus
 carnem peccato infectam non assumeret. Nisi fortè per as-
 sumtionem solum amorem Dei in hominem intelligat. Vo-
 luntas verò Dei liberrima est, omnipotentiam enim & omni-
 scientiam habet pro fundamento. Nosque decreta Dei,
 prout in tempore fiunt, ita concipere debemus, utut æterna
 sint & a Deo non differant. Accedit quod qui rei hunc mo-
 dum definivit, idem Deus alium pro redemptione reperire
 & decernere potuerit. Scholastici ideo per justitiam Dei
 aliter haud liberari potuisse genus humanum, statuunt. Secus
 per solam misericordiam. Existencia vero secuta demum
 est decretum divinum, & sic in tempore contigisse dicimus de-
 cretum, quanquam in Deo ab æterno; ideoque non infert rebus
 necessitatem. Tandem nec revelatio absolutam necessitatem
 continet, quoniam secuta est actum definitum.

§. X. Quæcunque jam de necessitate Incarnationis vel a Patribus disputata sunt, vel adhuc disputantur, ad necessitatem hypotheticam recidunt. *Decebat quidem principem salutis per passiones perfici*, quæ necessariò supponebant Incarnationem *Hebr. II, 10. 14.* Sed hæc omnia nituntur hypothese de redemptione. Nec aliter forte Anshelmus Lib. Cur Deus homo; & Richardus de Verbo Incarn. quos primos vulgò necessitatis patronos habent. Ille enim per quatuor partes procedit. Nempe, quod necessarium fuerit hominem redimi. Secundò, quod non potuerit redimi sine satisfactione. Tertio, quod hæc præstanda fuerit à *θεω* & *φύσει*. Quarto quod per mortem fuerit absolvenda. Hæc Scotus omnia reducit ad ordinationem divinam, quæ liberrima fuit, III. dist. 21. q. 1. Add. *Testimonia Prima, Media, & Ultima ætatis Christianæ Doctorum, eorumque non infimæ autoritatis, quod satisfactio divini duntaxat decreti ratione, & ob congruentiam, non verò absolutè necessaria fuerit, ad illustrem quendam Virum per scripta & Helmst. 1678. excusa.* Ubi in fine ad illa verbo Lutheri: *Poffet Deus omnipotentia sua salvare genus humanum sine Christo;* adduntur hæc B. Calixti Patris: *hätte ers können thun ganz ohne Christum / so hätte ers auch können thun ohne einen Christum / der Gott wäre.* Et facile patet, his omnibus negari absolutam necessitatem, & absurdum esse, inde, postquam res demum determinata fuit, nobisque revelata, vel divinitatem, vel totum opus redemptionis in dubium vocare, aut libertatem utrumque horum credendi relinquere.

§. XI. Necessitatem Incarnationis ipse actus excipit, in quo respicienda est omnino Unio Hypostatica vel Personalis. Quo

Quo faciet, naturam Unius considerare. De hoc agit Aristot. V. Met. VI. & speciebus primum enumeratis, *in uniuersum hoc unum dicit, quod non habet diuisionem, in quantum non habet.* Hinc ed refert omnia, quæ unum aliquid agunt, aut patiuntur, aut habent, aut ad aliquid unum sunt. Hæc uero partim per se fieri, partim per accidens, dixerat. Maxime tamen unum esse, quorum una substantia, nempe per continuationem partium, per speciem, aut per rationem, scilicet formalem. Cum ergo res vel diuisionem nullo modo admittat, vel saltem quatenus conjuncta est; illo modo unum quid simplex, hoc uero compositum dicimus. Hinc & seorsim de Composito agere solemus, cum Unum significet simul mensuram, Compositum uero, ut res sese habet. XII. Met. VII. Igitur compositum *cum* aliquibus & *ex* aliquibus dicimus. Illud etiam res simplicissima esse potest, quando cum alio ad constituendum tertium quid unitur. Hoc per se simplicitatem excludit, & in physicis præcipue solet explicari. Semper autem in compositis spectanda sunt duo extrema, & unio tanquam medium. Nec opus est ad constituendum compositum, ut utrumque extremorum semper producat, sed sufficit unionem addere, quemadmodum Salvator faciebat, quando recentes adhuc mortuos resuscitabat. Cumque hæc unio additur, unionem vel compositionem dicimus. Et si compositio ex partibus est realiter distinctis, quarum una sine altera potest existere, realis dicitur, si minus, est compositio rationis, cum ratione solum distinguantur extrema; v. g. essentia & subsistentia in diuinis.

§. XII. Quod si jam ad Unionem Hypostaticam hæc refera-

feramus, unumquid erit Persona Christi, siquidem unum est, quod agit, patitur, habet, & ad quod ultimo respicit. Hinc indivisum est, adeo ut nec in triduo mortis separari potuerit. Compositum verò quid est sano sensu. Nempe componitur divina cum humanâ naturâ, nec quicquam immutatur. Hinc etiam ex aliquibus componitur ut θεάνθρωπος. Quod ut melius constet, termini duo, atque unio notanda. Illi sunt divina & humana natura, ita, ut hæc recipiat, unionem ut subiectum, illa solum ut terminus, hæc unâ cum unione producat, illa producat. Dum autem naturam divinam dicimus, tum secundam personam, tum essentiam Dei intelligimus, ut dici queat: Essentia divina est incarnata. Unionem facit unio, quarum hæc accidentaliter esse potest, & momentanea; illa non item, dum sumitur pro statu. Neque enim, unio est inter subiectum & accidens, aut inter duo accidentia, ut rubo accidit, quod arderet, nec combureretur; sed duarum naturarum est. Nec vero ideo essentialis, ut inter materiam & formam. Deus enim omnis formæ & materiæ est expers. Nec inter speciem & individuum. Unus enim Deus est, & unus θεάνθρωπος. Nec partium integrantium, qualis est inter duos asseres. Nec λόγῳ τῆ πένενας, siquidem divina natura per se determinata non erat ad constituendum tertium. Neque solum hujus rationis conceptu vel νοήσει, quoniam est inter duo extrema realiter distincta, ex quibus divina seorsim sine humanâ naturâ subsistere potuit. Erit igitur, cum ad modum aliquem naturalem referri nequeat, Supernaturalis. Naturalis quidem, uti hoc Patres intellexerunt, quatenus est realis & substantialis. Nec tamen violenta, ut ut supra naturam sit, cum naturæ non sit contraria. Distinguitur autem ab unione my-

ne mystica fidelium cum Christo, quæ est inter duas personas, & sacramentali; quarum neutra substantialis est. Ideoque tanto arctior, quod vel secundum Aristotelem maxime talis, quorum una substantia, qualem hic deprehendimus: unde personalem vel hypostaticam vocamus, quæ nec per continuationem, nec per speciem, sed per modum proprium atque ineffabilem talis, quando nempe duæ naturæ completæ, quarum una propriam subsistentiam habet, altera non habet, nec unquam habuit, in unâ numero substantiâ arctissime jun-
guntur.

§. XIII. Unionem hanc impugnarunt præcipue duo veteres hæresiarchæ Nestorius & Eutyches, & qui ab his prodierunt, in orbe orientali variis circa illam diffidiis agitati. Nestorius hoc unum dividebat, quâ dividendum non erat, nempe quoad substantiam. Qui enim negat Mariam Θεοτόκον, ille hanc negat substantiam illam genuisse, quæ Deus est. Unde sequeretur, quod alia ab hoc esset, numero, specie, aut continuatione diversa. Eutyches, quod valebat de unionem, hoc omne per mutationem suam unius naturæ in alteram, ut hinc una ex duabus fieret, tollebat. Ubi enim unum in alterum commutatur, ut unum ex his remaneat, ibi eadem, quæ ante fuerant, pereunt extrema. Hinc utrinque infinita sequebantur absurda. His vero potissimum ad variam vocis ὁμοούσιος acceptionem redundabat. Sic dixerat Athanasius, prout verba adducit Theodoretus Dial. I. Cap. XXII. ed. Strig. infernum hæc evomuisse, corpus ex Maria ὁμοούσιον εἶναι τῆ τῷ λόγῳ θεότητι, consubstantialem esse divinitati verbi, aut *verbum in carnem & ossa & pilos & totum corpus mutatum esse.*

In his

In his unum exponit alterum; nempe unius naturæ in alteram mutatio, aut cum altera confusio negatur. Hinc & quod *θεῖος καὶ ὁ φύσει σώμα περιόρεκεν ὁ θεός* i. e. *positu non naturâ corpus gestaverit Deus*, tanquam falsum rejicitur. Nec tamen ideò cum essentia unitate etiam substantiæ unitas sublata. Imò paulo ante dixerat autor cum Athanasio, *ὁ λόγος εἰς σάρκα περιεγένετο, ὡς λέλεκται, ὁ λόγος σὰρξ ἐγένετο*. Ubi vox *περιεγένετο* significat, *unâ natum esse*. Item Cap. IX. distinguebatur τὸ ἐξ αὐτῆς γεννηθῆναι & τὸ ποιηθῆναι ἢ παλαοθῆναι i. e. quod *ex Maria natum*, & quod *ex eafactum seu formatum*; & per hoc naturam humanam, per illud verò personam autor videbatur intelligere. Ad quam partem verò accedat Liberius de S. Amore Ep. Theol. Ep. I. dubium ferme est. *Impossibile enim putat Humanitatem esse ἐνοπίστατον Divinitati*, & supponit personalitatem esse meram denominationem externam, item, quod mirum, Filium Dei personalitatem illam quam ab æterno habuerat, per Incarnationem exuisse, & fuisse antea *Ens incompletum*, saltem hoc pacto, quo non fuerit *θεῖος*, quasi hunc fieri, fuisset absolutæ necessitatis. *Apage absurditatem!*

§. XIV. Unitatem personæ sequitur arctissima, quæ esse potest, naturarum proprietatumque & actionum omnium mutua communicatio. Actiones enim sunt suppositorum; illæ verò à proprietatibus proveniunt, & hæc à naturâ rei. Quod ut pateat melius, Christum *θεῖον καὶ ἄνθρωπον* ut Totum aliquod concipere debemus, etiamsi totum alias majus sit suis partibus, quippe quæ regula valet de partibus, æqualitatem quandam inter se habentibus. Unde nec sumimus totum h. l. pro perfecto. Deo enim nihil est perfectius, etiam ante Incar-

Incarnationem. Neque etiam $\phi\acute{\iota}\sigma\iota$, sive naturâ, Christus $\theta\epsilon\acute{\alpha}\nu\theta\rho\omega\pi\omicron$ totum est. Ideoque altero modo totum erit, quem Aristoteles V. Met. XXVI. suppeditat, nempe prout unum quid est, quod continet contenta. Et quidem prout alterum horum maxime unum, nempe divinitas, quæ reliqua etiam unit & totum constituit. Totum hoc uti unum est, nec ad universale nec ad integrale aut essentiale referri potest. Aliquo modo autem ad potestativum pertinet, prout Aristoteles vocat $\acute{\epsilon}\lambda\eta\nu\ \psi\upsilon\chi\eta\nu$, animam totam, de Anim. Lib. I. Quemadmodum enim ex diversis animæ operationibus diversas ejusdem facultates ac principia colligimus, modum vero distinctionis vel convenientiæ propter subtilitatem haud penetramus, totique hinc animæ effectus omnes adscribimus, ita quoque in Christo omnium virtutum, tam divinarum quàm humanarum præsentia est, quarum quidem diversitatem edocent actiones, interim tamen omnes inter se arctissimam habent communicationem, ut nulla illarum sine altera operetur. Id quod maxime apparet ex actionibus $\theta\epsilon\alpha\nu\delta\epsilon\iota\mu\alpha\iota\varsigma$, & certa quædam $\alpha\pi\omicron\tau\iota\lambda\acute{\epsilon}\sigma\mu\alpha\tau\alpha$ producentibus, in quibus illam regulam propterea adhibemus, quod unaquævis natura agat cum communicatione alterius, quod suum est. Maxime verò illarum facultatum conjunctio in divina natura nobis est imperscrutabilis. Sed non solum totum potestativum est noster Mediator, sed & Individuale ac Personale, ne quis fortè putet plures esse, inter quos diversæ illæ potestates dividantur, ut unum edant effectum; ut fit in collegiis & societatibus. Quæ est sententia Autoris Epistolar. Theol. ante allegatarum Ep. I. p. II. cum ad hoc totum sufficere putat *unionem consensu*, quàm rigide etiam hunc

hunc sumat. Item Joh. Lökkii de Int. Hum. Lib. II. c. XXVII. §. 9. ubi personalem identitatem per *solam conscientiam notitiam* constituit, quo pacto in Deo una persona constitui deberet; ne simul allegemus, quicquid simul de hac facultate, in qua consistit notitia illa, necessario materiali, ex hypothesi sua differit, & sic Deum necessario materialem sibi fingit. Hujus rei rationem vidimus circa unionem personalem. Nunc vero adhuc notamus, quod ut totum in eodem individuo concipiendum sit Concretum personæ, Christus, item Concret. Nat. Div. Filius Dei, & concretum Humanæ Naturæ Filius hominis, de quibus promiscuè omnes actiones ac proprietates tam divinæ quam humanæ prædicentur revera, nec sola tantum verborum translatione. Deinde etiam quia divina natura perficit humanam & quasi animat, huic necessario perfectiones divinæ debent esse communicatæ, ut eidem insint. Atque sic Humanam Nat. vel ut totum determinatum concipimus, hoc modo: Christo quoad Hum. Nat. omnes divinæ virtutes communicatæ; vel ipsam partem determinatam idèò substernimus, h. m. Humanæ Nat. Christi virtutes divinæ communicatæ. Ex quibus deinceps effectus, nempe infinita pro peccatis hominum satisfactio intercessioque sequi debet.

§. XV. Finis Incarnationis est hominum salus, quod fatentur majores nostri in Symb. Nicæno, nosque vidimus §. IX. Unde ne sine hoc suo frustretur, dicimus causam Efficientem. Hanc Aristoteles describit breviter & accurate I. Met. III. *ὁ θεὸς ἢ ἀπὸ τοῦ οὐκ κινητῶν, unde est principium motus.* Movet igitur Deum Incarnatio & quæ hinc pendent, non physice, nam in Deum non cadit motus; sed tanquam causa Mo-

sa Moralis, ut ex irato evadat reconciliatus. Id quod probamus, quia profuit antequam fuit, adeoque entitate in effectum non influxit, siquidem *Agnus mactatus ab origine mundi* Apoc. XIII. 8. Deinde etiam quia effectus eidem imputatur, non homini, aut fidei hominis. Imputatio verò illa est è causalitate, quæ est ipsa Christi *divinæ* intentio, seriatimque ac deliberata inde ab æterno, quamque nec in ipso actu incarnationis abjecit, sed retinet æternum. Quam faciebat aptitudo tum à divinâ, tum ab humanâ naturâ, quâ utrâque noster Mediator est. Cum autem Physicâ causâ opus sit ad Moralem, ipsum Christum alio respectu per triplex officium suum etiam causam Physicam esse reconciliationis nostræ cum Deo, ac salutis æternæ, non negamus. Alias egisset alius, alius promeruisset. Si interrogaverit fortè aliquis, an principalis, an verò minus principalis causa sit Incarnatio, pro diversâ ratione considerandi ad utramque refertur. Ut enim ad veram imputationem sufficiens est, pro principali habemus. Sed ut opus Servatoris ac requisitum, pro minus principali. Opus enim suo subjecto est subordinatum. Quanquam non negemus veteres sic loqui consuevisse, quod Deus per ipsum Christum, tanquam instrumentum, generis humani salutem effecerit. Alii Christum causam, ut Quod, meritum ejus causam, ut Quo, vocare malunt. Quare valde peccant, qui inter fines incarnationis præcipuum, nempe satisfactionem, omittunt, & potius reconciliationem æquè nostram, ac vitam æternam integritati hominis tribuunt internæ, Christum verò per prædicationem verbi solum physicam, & per mortem exemplarem causam faciunt. Item alii, qui solam voluntatem divinam pro causâ morali adducunt, &
ab hac

* (20) *

ab hac meritum Christi excludunt. Conf. B. Rixneri *Disp. de
Præcipuis inter causam Physicam & Moralem differentis, &
Questionem hæc de re annexam*, habitam Helmst. 1675.

*Gloria tibi, Domine,
Qui natus es de Virgine.*



153516

X 2310927

R



SYLLOGE LOCORVM
E
PHILOSOPHIA PRIMA
PERSONAM CHRISTI
ET INCARNATIONEM
MAXIME ILLUSTRANTIVM

QVOS
E PRÆLECTIONIBVS PVBLICIS
REPETITOS
D. O. M. A.
PRÆSIDE

JON. CONR. SCHRAMMIO

SS. TH. D. ET PROF. PHIL. PUBL.
EXTRAORDIN.

D. XXIV. DECEMBR. MDCCIX.
PVBLICE DEFENDET
A. ET RESP.

FRANCISC. CONR. STEINBERG
EINBECA-HANNOVERANVS.



HELMSTADII,

TYPIS GEORG. WOLFGANGI HAMMELI, ACAD. TYPOGR.